

bilis permanet in re quam iudicat : ergo in ipso primo instanti creationis ex sua natura mansit immobilitatus, et cum in illo instanti non potuit peccare, sequitur quod nec in sequenti, nec unquam potuit peccare. Consequentia patet, quia etiam in primo instanti comprehensive, et perfecte attingit principia, et conclusiones, finem, et media, quia fuit in illo instanti plenus sapientia : ergo si ex vi iudicii comprehensivi immobilitatur, tunc jam immobilis factus est, aut si tunc non operatur immobilitatem comprehensio, cur postea eam operatur.

Respondetur negando antecedens.

XXIII. Ad primam probationem dicitur, quod peccatum Angeli præcludit viam gratiæ convertenti, non ex ipsa ratione objecti sui, sed ex statu ipsius subjecti operantis, ut citato loco dicit S. Thomas solutione ad quintum. Unde primum ejus peccatum non fuit peccatum in Spiritum sanctum ex objecto, quia ex objecto fuit excellentia propria, quæ est objectum superbiæ, non peccati in Spiritum sanctum, quia peccatum in Spiritum sanctum, est quando ex objecto ipso quod intenditur, specialem renitentiam facit ad gratiam Dei ut propositum non pœnitendi, desperatio, præsumptio, et similia ratione quorum retrahitur homo a peccatorum adhæsione. Tale objectum non habuit peccatum primi Angeli, sed in suam excellentiam nimis effusus est. Attamen ex ipso modo peccandi, et operandi simul cum tali objecto propriæ excellentiæ recusavit omnem gratiam specialem Dei, voluitque sistere intra limites propriæ, et naturalis excellentiæ, ideoque ex consequenti præclusit viam omni gratiæ Dei moventi, habuitque eosdem effectus quoad irremis-

Spiritum sanctum ex suo genere, et objecto, imo id multo fortius, quia non ex sola objecti ratione, sed ex modo operandi subjecti immobilitatus fuit in sua determinatione. Nec renuit S. Thomas ex consequenti tribuere Angelo peccatum in Spiritum sanctum, licet primum peccatum fuerit superbia, ut docet solutione ad sextum loco citato ex secundo sententiarum.

XXIV. Ad secundam probationem dicitur, quod comprehensiva vis Angeli non solum extenditur ad ea quæ necessario connectuntur essentiali, seu principiis, sed ad ea etiam quæ contingenter, cum constet Angelum visa substantia aliqua videre ejus accidentia, non solum quæ sunt propriæ passiones, sed etiam accidentia communia, potestque sine compositione, et divisione formare de eis iudicium, ut S. Thomas supra quæst. LVIII, tenet : licet verum sit non æqualiter iudicare Angelum de prædicatis necessariis, et de contingentibus, sed illa tamquam necessario connexa, hæc tamquam contingenter attingere. Fate-mur ergo quod iudicium regulativum voluntatis fertur in hoc objectum, illudque proponit tamquam indifferens, et contingens, alias non esset eligibile ; sed tamen dicimus quod sicut intellectus proponit hoc iudicium attingendo illud objectum contingens in suis principiis, ita voluntas fertur in hoc indifferens et contingens, seu liberum eodem impetu, eademque tendentia qua ipsum finem. Quare immobilitas, et adhæsio voluntatis Angeli ad id quod semel eligit, non est sumenda ex ipsa vi, et ratione objecti quasi necessitante, et immobilitante voluntatem, cum revera contingens, et liberum objectum sit, sed ex conditione, et modo operandi ipsius subjecti, quia unico, et eodem actu fertur in finem, et in ea quæ ad fi-

nem pertinent, in principia, et conclusiones. Unde quantumcumque sit res contingens, si tamen determinate, et resolutorie vult non per consequentiam se determinat, nec per resolutionem a conclusionibus in principia, quæ potest diversis rationibus impediri, et ad opposita viam præbere, sed in ipsismet principiis naturaliter visis, et comprehensis, et in ipso fine immobiliter, et determinate volito, licet libere quoad exercitium propter indifferentiam iudicii determinationem suam accipit, etiam circa objectum contingens. Nec defectum habet Angelus in hoc quod omittit considerare aliquid ex his quæ sub talibus principiis continentur etiamsi contingentia sint : omnia enim comprehendit, et ex hac parte non potest reverti, novas rationes considerando ex his quæ ad naturalem ordinem pertinent, cum comprehensive procedat, sed si quem defectum habet, est in nolendo, aut non iudicando conveniens considerare ea quæ super naturam suam sunt, sed claudit considerationem suam ab hoc lumine, recusans a tali objecto affici. Sed quia hanc ipsam recusationem iudicat, et vult eodem actu quo principia attingit, et finem vult, ideo etiam in recusando, et excludendo supernaturale lumen, quatenus illo affici posset ad superiorem finem, immobilis est ex vi modi procedendi. Negamus ergo quod circa contingentia objecta non possit Angelus immobiliter procedere, non ex meritis objecti, quod de se libere, et contingenter movet, nec ab illo provenit immobilitatio, et necessitas in voluntate, sed ex modo operandi ipsius Angeli, qui etiam circa contingentia, et libera accipit determinationem, et resolutionem eodem actu, et tendentia indivisibili qua fertur in finem ipsum, seu in prima principia. Non

sibilitatem, ac si esset peccatum in potest autem idem actus esse immobilis circa principia, et non circa conclusiones, si non seorsum eas attingit, sed in ipsis principiis : nec enim habet unde moveatur in eas, nisi ex ipsa principiorum attingentia, quæ immobilis est. Argumentum autem procedit quantum est ex parte, et meritis objecti contingentis, quod cum non habeat connexionem per se cum principiis, et fine, quia contingens est, ex vi sua non movet immobiliter voluntatem, sicut movetur voluntas ab objecto necessitante, ut ab essentia divina clare visa. Non tamen probat quod ex parte modi operandi ipsius subjecti Angelus attingens, et procedens comprehensive, non attingat in ipsis principiis contingentia objecta, quæ eis subordinantur, et sub habitudine ad illa debent attingi ; et sic ex vi modi operandi immobiliter procedat, quia eodem actu indivisibili procedit.

XXV. Quod si instes : Si Angelus ex principiis immobilibus, et ex adhæsione ad finem in communi procedit ad istas conclusiones contingentes, et ad ista media, vel res contingenter illi fini subordinatas, videns non esse inter ea necessariam habitudinem, cur non poterit iterum uti illo eodem fine ad oppositum volendum postquam semel usus fuit illo ad volendum id quod contingenter videbat illi annexum ? Et si non consideravit aliquas rationes, quibus poterat affici ad oppositum bonum, cur non poterit illas de novo considerare ; et sic affici ad oppositum bonum, non quidem utendo discursu, sed ipsa comprehensione finis, seu principiorum, si quidem illis potest comprehensive procedere ad unum, et ad oppositum, quia contingentia sunt ? Et sicut antequam determinate eligeret, poterat ipsa

comprehensione principiorum utendo oppositum eligere, cur non etiam postea poterit, non quidem per discursum, sed alio actu tendendo in finem comprehensive, et penetrative cum habitudine ad oppositum bonum, quia contingens est: hoc enim non pendet a discursu, sed etiam discursu cessante potest sub eisdem principiis, modo unum attingere, modo aliud, quia contingentem connexionem, et habitudinem habent cum talibus principiis.

Respondetur non posse Angelum circa illas res contingentes, earumque connexionem cum principiis mutare iudicium procedendo suo connaturali modo, quia secundum naturalia principia non potest accipere novam cognitionem immutativam sui affectus, quam illam quam habuit a principio: licet enim circa res quæ de novo fiunt, in universo possit accipere diversam notitiam, et iudicium in individuo, et consequenter diversum affectum, tamen circa illud individuum quod semel eligit deliberate, et præsertim circa finem determinatum quem semel elegit, non potest amplius variare notitiam, et accipere, seu considerare aliquid quod tunc non consideravit, quia Angelus non accipit notitias incipiendo a particularibus, et a rebus ipsis, sicut nos accipimus per sensus; et sic variatur nostrum iudicium, quia in ipsis principiis immobilibus non apprehendimus quidquid sub illis continetur, et ad illa pertinet, sed dependemus a sensibus, unde tota variatio est, et per discursum deducimus ex principiis, et ideo patet nobis via ad variandum iudicium, et procedendum ad utrumque oppositorum, ut dicit D. Thomas in hac quæstione LXIV, art. II. Angelus autem non accipit notitiam aliquam ex rebus, aut sensibus, neque discurrit ex principiis,

sed in ipsis videt totum quod ad illa pertinet, si comprehensive, et plene procedit: et eodem actu quo immobiliter tangit principia, descendit ad ea quæ sub illis continentur; et sic quantumcumque velit verti, et reverti super talem finem, et objecta sub eo contenta, semper ex vitalium principiorum eadem sibi, et eodem modo repræsentantur, quia comprehensive circa illa se habet. Non variata autem notitia voluntas non mutatur; quia tota pendet a iudicio, et cognitione intellectus. Nec pro suo libito potest eisdem rationibus, et motivis stantibus mutare voluntatem, sine aliqua nova notitia affectiva ad oppositum, præsertim in natura intellectuali perfecta, cui mutabilitas imperfectionem affert; nulla autem major mutabilitas, quam stantibus eisdem rationibus, et motivis, nec alia de novo apparente ratione modo velle, modo nolle. Quod vero dicitur de inconsideratione, quare non poterit de novo Angelus considerare, dicimus inconsiderationem illam non esse circa naturalia, quæ comprehendit, et semper videt eodem modo, præsertim seipsum quem vult ut finem, et propriam excellentiam, ut primum bonum, sed inconsideratio est circa bonum supernaturale, cuius considerationem in ratione boni gratuiti, et ex speciali beneficio habendi, omnino refutavit, et exclusit, et exclusio illa fuit volita, sicut et ipse finis cui adhæsit, quia adhæsit ei cum exclusione alienæ gratiæ; et sic ipsa exclusio fuit eadem immobilitate volita qua finis. Remoto autem discursu non potest ipso simplici, et indivisibili actu quo vult finem, et ea quæ ad finem pertinent hic, et nunc mutari, et velle oppositum, quia non habet unde sumat notitiam qua de novo afficiatur ad oppositum objectum, cum in ipsis principiis immobiliter omnia co-

gnoverit, quibus ad id affici poterat hoc ipso quod comprehensive processit, nec aliunde possit accipere notitiam, qua de novo afficiatur. Ex supernaturali autem lumine non accipit, quia ab illo, se excludit.

XXVI. Et cum instatur, quod potuit ante deliberationem, et adhæSIONEM ad istam partem libere determinare sed ad oppositam, quia contingens erat, et tamen etiam tunc per comprehensionem procedebat, respondetur quod ante deliberationem, procedebat quidem per comprehensionem ex parte cognitionis, sed nondum omni modo quo poterat, scilicet se movendo, et ex se formando dictamen, sed secundum dictamen formatum a Deo; nec adhuc excludendo a se lumen supernaturale, ut affectivum, et claudendo illi oculos, sed adhuc utendo illo, et proponendo indifferenter, an esset bonum illi subjici, vel illud recusare; et sic illa comprehensio pro tunc ante deliberationem, licet esset perfecta in attingendo per cognitionem objecta, nondum tamen erat in omni statu perfecta, scilicet in applicatione, et determinatione eligendi unum, et recusandi aliud, sicut postea. Et ideo comprehensio in statu perfecto, id est, sic applicata, quod se movet voluntas ad determinandum unum, et recusandum aliud, immobilitas tam in determinatione ad proprium, quam in recusatione boni supernaturalis, quia utrumque eodem actu accipit quo tendit in finem, et sicut naturali lumine non potest majorem notitiam accipere circa naturalia, quia comprehensive, et plene ea videt, sic præcludit viam eadem determinatione, et immobilitate, ne acceptet supernaturale lumen, a quo poterat vinci illa naturalis comprehensio, et adhæSIO; et sic non relinquit viam pro-

cedendi ad utrumque oppositorum, ut dicit S. Thomas in hac quæstione LXIV, art. II, quia scilicet excludit inspectionem omnis boni supernaturalis, ut boni, id est, ut affectivi. Quod tandem expressit S. Thomas, et ex D. Dionysio hausit super caput IV de divinis nominibus, lect. XIX, circa finem, exponens illa verba Dionysii, ut supra diximus quod: « Dæmones habent splendidissima dona naturalia, quamvis ipsi non vident claudentes ipsorum boni inspectivas virtutes. » Quod S. Thomas sic glossat: « Sed quod ipsi non vident, hoc provenit ex hoc, quod ipsi per liberum arbitrium clausurunt suas virtutes inspectivas boni, id est, averterunt voluntarie suum intellectum, non a consideratione veri, sed ab inspectione boni in quantum bonum, quia scilicet nolunt illud sequi. »

XXVII. Et ex hoc apparet, quomodo intrinseca causa naturalis obstinationis conformetur, et conjungatur causæ extrinsecæ Dei denegantis gratiam. Nam ex eo quod naturalia splendidissima sunt in Angelo, procedit in sua determinatione, et electione comprehensive, et in ipsa immobili, et indivisibili inspectione principiorum videt omnia etiam contingentia, et libera, quibus moveri potest; et sic facta determinatione, non restat ei locus, neque via unde novas rationes accipiat, quibus se moveat, quia a rebus non accipit cognitionem, sicut nos, nec per novam penetrationem, et illationem ex principiis. Ex eadem autem immobilitate, qua in illis principiis se determinat erga propriam excellentiam, recusat, et excludit a se finem supernaturalem, et omnem manifestationem ejus ut affectivam, et inclinantem voluntatem, licet in ratione veri rem supernaturalem cognoscat; et sic ex ipso modo connaturali ope-

randi manet Angelus obstinatus, et inflexibilis in malo quod elegit, non quia ab objecto determinetur aut necessitetur, sed propter modum operandi per comprehensionem immobilem rei in suis principiis, et exclusionem omnis alterius luminis supernaturalis ad efficiendum: sic enim claudit virtutes inspectivas boni in modum aspidis surdæ obturantis aures suas. Unde fit quod gratia Dei ordinario modo operans, et juxta connaturalem modum subjecti in operando se attemperans non convertit talem voluntatem, nisi miraculose, et de potentia absoluta, aut removendo modum illum connaturalem operandi, aut dando lumen supernaturale quod vincat totam comprehensionem, et modum comprehensivum naturalem, non quod ei se accommodet, et faciendo quod illud acceptet, ut si evidens lumen sit. Sed quia hoc est miraculosum in genere gratiæ, dicitur simpliciter ex modo naturali procedendi esse Angelum inflexibilem facta electione, quod tamen ante illam non erat, quia nondum elegerat, nec determinate usus fuerat illis principiis habentibus se ad oppositum antecedenter, sed immobili modo consequenter, licet libere, quia circa objectum indifferens procedit, et iudicium indifferens, juxta modum tamen naturæ Angeli comprehensive procedentis in sua determinatione, quia determinatio illa in ipsa immobili principiorum apprehensione facta est, ut statim magis explicabitur.

XXVIII. Ad confirmationem supra positam in argumento, respondetur quod, ut jam diximus, in primo instanti, licet Angelus comprehensive attingat principia, et quæ in principiis continentur, non tamen in illa comprehensione se movet, neque se determinat, sed movetur, et determinatur a Deo. Et sic

non manet immobilitatus, et inflexibilis in illo primo instanti, quia nondum tunc operatur omni modo quod natus est operari, sed quando operatur se determinando, et est quasi sui juris in eligendo, et determinando, tunc illa est ultima resolutio, et determinatio secundum quam potest operari, ideoque exinde incipit esse inflexibilis, quia est comprehensio in statu perfecto, et perfecte applicata, nec amplius restat aut alius modus movendi se, aut alia representatio major habenda, cum ex comprehensione plena procedat, quoad naturalia, lumen autem supernaturale ut affectivum recuset.

XXIX. Quod si urgeas: Quomodo facta electione, et determinatione a se redditur sic immobilitatus, cum ante se habuerit ad opposita, etiam ex vi comprehensionis principiorum: poterat enim comprehensione illa utendo inclinari ad unam partem, vel ad oppositam; poterat etiam non uti tota comprehensione principiorum, sed inadæquate, non attendendo ad omnes circumstantias, et sic procedere ad deliberandum. Unde restabat locus ad retractandum, vel propter contingentiam, et indifferenciam ad opposita, vel propter inadæquatam principiorum considerationem, responderetur quod Angelus semper est sic dispositus, ut post determinationem, seu consequenter ad ipsam immobilitatem, non antecedenter; et sic consequitur immobilitatio ad electionem, non ante. Sed quia de hoc ipso reddenda est ratio, quare sic se habeat post electionem, et non ante, supposito quod comprehensive intelligit, etiam ante electionem, sed quia comprehendit cum indifferencia, et contingentia ad opposita, potest libere eligere, cur ergo non poterit idem postelectionem factam, cum sit eadem cognitio cum indifferencia:

et idem objectum liberum; ideo addimus quod advertenter posuit S. Thomas in hoc articulo secundo illa verba: *Si consideretur ante adhesionem, potest libere adherere, et huic, et opposito, in his scilicet quæ non naturaliter vult, sed postquam jam adhæsit, immobiliter adhæret:* ea ergo quæ non naturaliter vult Angelus tunc contingentia, et indifferencia sibi, et præsertim ea quæ supernaturalia sunt, quia ad ea quæ naturalibus principiis attinguntur, ex ipsa naturali manifestatione determinatur Angelus. Ante adhesionem: ergo sic proponuntur talia objecta determinate eligibilia, quod proponuntur cum indifferencia, et contingentia ex se, et ex meritis objecti: et sic libere potest adherere, et huic, et opposito. Sed tamen, quando se determinat ad unum præ alio ipsa ratio determinationis, et accipiendi hoc, et relinquendi illud non proponitur Angelo mutabili modo, sed immobili, quia in ipsismet principiis, et cum eadem tendentia, et attingentia qua attinguntur principia, ipsa etiam ratio determinationis accipitur. Et sic principia quatenus deserviunt isti determinationi, seu rationi determinandi acceptionem unius præ alio immobilitant mentem Angeli, non solum quoad principia secundum se, sed quoad principia, ut sunt ratio determinandi hic, et nunc, eo quod in Angelo, qui non potest cognitionem accipere ex rebus in seipsis, sed natus est accipere cognitionem in principiis respectu quorumcumque, quæ sub eis continentur, etiamsi contingentia sint, oportet quod ipsa principia accipi possint ut ratio determinandi ad unum præ alio, et quia hoc faciunt non per discursum, sed eadem attingentia indivisibili, qua ipsa principia in se attinguntur; ideo etiam ut sic extensa immobiliter se ha-

bent, quod tamen ante electionem, et determinationem non poterat dici, quia nondum extensio ista dabatur; quia nondum se movebat, nec se applicabat ad determinationem hujus, et recusationem alterius ut supra diximus; et sic immobilitas extensiva ad hanc determinationem formaliter adhuc non erat, licet radicaliter ibi erat. Certe nos in consiliando, et iudicando practice, tunc firmiter procedimus quando accipimus consilium, et sententiam per reductionem ad aliquod certum, et firmum principium, licet quia hoc facimus per consequentiam, et illationem, semper detur locus retractioni, quia diversis notitiis, et modus potest considerari illud principium, et deduci illatio. Si ergo Angelus non per illationem ex principiis se determinat, sed ipsa, et eadem indivisibili attingentia, qua comprehendit principia, determinationem accipit in re contingenti: ergo extenditur ad talia objecta sub eadem immobilitate, qua attingit principia, sicut nos firmiter procedimus, quando sub illatione deducimus necessario ex principiis, sed nos revocabiliter, Angelus irrevocabiliter, quia nos per illationem, et minorem penetrationem principiorum, Angelus sine illatione, in ipsa principiorum attingentia extendente se ad objecta sub eis contenta. Et quia non potest sumere alias notitias ex rebus ipsis, sed semper a principiis debet incipere, ideo semper eadem immobilitate procedit, et eodem modo cognoscit ea quæ semel in comprehensione principiorum cognoscit naturali lumine. Quod autem posset ex supernaturali lumine reverti, non habet locum connaturaliter loquendo, quia eadem immobilitate qua eligit propriam excellentiam, excludit lumen supernaturale sibi manifestans convenientiam boni gratuiti, et claudit